



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt VIII. Legatorum electio: eorum accessus Tridentum, & Caesarei  
Oratores.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11642**

1545.  
a Apparet  
ex variis lo-  
cis Acto.  
Consistor.  
b 16. De-  
cembbris  
1545. vt  
in Actis  
Consistor.

postea reliquis, vti insignia Purpuratorum susciperent: <sup>a</sup> nec tū multò pōst collata Paceo Purpura, ac satisfactum Cæsari, prou suo tempore b narrabitur. Sicut autem ingentis est audacia, calunianti sua commenta pro veris assumere, ita ingentis est pondere fedarguenti, ea commentitia & veritatis inania demonstrare; cum Lydius aliquis lapis haud nobis suppetat, qui, vt aurum, perinde verum dictum à fallo distinguat, quod quasi conditionis humanæ felicitatem declamatores ac Poëtae nobis augurantur, sed benefici parens Natura, qua nobis illud denegauit, & Philosophi naturæ canorum consicij, futurum fuisse miseriam arbitrantur.

## CAPVT VIII

*Legatorum electio: eorum accessus Tridentum, & Cæsarei Oratores.*

**P**AULUS senio morbisque confectus, imparem se tolerando fīgori Alpini cāli sentiebat: decreuit ergo Legatos eō destina-  
re, non solum solennia Synodi primordia ( vti bis aliā secum statuerat) auspicaturos; sed ad Fidei decreta, emendationis que leges progressuros: habens etiam in animo eō ipse tunc demum accedere, si virginē necessitate cogeretur. Propterea ternos ex tripli-  
ci Purpuratorum ordine seligendos putauit, nec suspectos Principi-  
bus, & probitate prudentiāque spectabiles. Nominauit ex Episco-  
pis Ioannem Mariam Montanum, <sup>b</sup> Antistitem Prænestinum, qui  
ad Pontificiam Tiaram creditus est ductu virtutis accedere, donec  
rei psā non peruenit; Marcellum Ceruinum, cui contigit collegam  
subsequi in Principatu, sed antecedere in existimatione posten-  
rum; & Reginaldum Polum, qui in iisdem Comitiis, quibus Montanus Pontifex renuntiatus est, proximē fuit in pluribus suffrage-  
tionibus, vt ipse renuntiaretur. Vnde liquet, delectos à Paulo Cen-  
cilijs Duces quot Legatos, totidem existimatione quidem, sin minima  
electione, Pontifices.

**e** In prima  
editione Lō-  
dineus op-  
positum di-  
citur: sed ex  
contextu ap-  
paret, erratū  
fuisse ab im-  
presore; vti  
postea cor-  
rectum est  
in cunctis  
reliquis im-  
precisionibus.

Neque hīc obliuiscitur Suavis, inter varios laudum flores calun-  
niæ vepres implicare. Ait quippe, Montanum fuisse delectum,  
quod exploratum erat, non potiorem conscientię rationem, quam  
fidelitatis erga Dominos eum habiturum. <sup>c</sup> Perinde, quasi vbi Pon-  
tifex huiusmodi temperaturæ homines ad hoc munis quatinusset,  
duos Montano collegas adiunxisset integratatis tam irreprehensib-  
us, vt ne ipsius quidem Suavis mordacitas eam ausit impetere. Na-  
quam verò legimus, ita Montanum audiisse, vti per infidiosam fideli-  
tas

1545.

tatis commendationem comminiscitur hic egregius laudator. Quin  
haud retiuero, huius Purpurati amplitudinem acceptam, referri  
eius patruo Antonio Montano, quod is Domini sui voluntatem  
conscientiae imperio posthabuerit, vt per aliam opportunitatem li-  
bro primo insinuauimus; dum vehementissimis Iulij II. commen-  
dationibus inflexibilis, <sup>a</sup> commendatum litigatorem sententiâ per-  
culit, statimque primum iracundi Principis impetum veritus, Nea-  
polim aufugit: sed Julius animo pacatiore integritatem Iudicis ad-  
miratus, eum Purpurâ remuneratus est. Atque ad tam magnanimi  
beneficij memoriam Antonij ex fratre nepos, de quo scribimus, ad  
Pontificatum euectus, Iulij nomen sibi adscivit.

Missus quoque Tridentum à Pontifice Cauenſis Antistes, Inter-  
nuntij nomine, vt eodem fungeretur munere, quod in præterita  
conuocatione illi fuerat impositum. Duo Legati eò breui acceſſe-  
re: Polus <sup>b</sup> aliquantò serius, ob insidiarum suspicionem, quas illi  
per vias Britanni Regis graſſatores instruxerant.

4 Suas h̄c interserit commentationes Suauis: Maturasse scilicet  
Pontificem Legatos mittere, antequam facultatis Diploma ac man-  
datorum libellum ipsis traderet. Vtrumque verum est: sed Diplo-  
ma missum <sup>c</sup> ante diem inchoationis indicet, idque satis erat. Quin  
etiam postmodum actum est <sup>d</sup> de quibusdam ex voto Legatorum re-  
concinnandis, quod tamen factum non est. Missa pariter ad eos  
alia Diplomata peculiarium facultatum, vti ſemper accidit. Man-  
data magna ex parte corā tradita; & quando ex illis nonnulla di-  
lationem patiebantur, maioremque deliberationem perebant, fu-  
ſius deinde perscripta, & paulo poſt <sup>e</sup> ſuperuenere. Nec huiusmodi  
agendi ratio ſubolere arcanam artem potest, niſi apud homines  
ignaros, quot necessariiſ curis occupata, adeoque quot moris ineui-  
tabilibus obnoxia fit Aula Romana. Tum verò Legatorum acceſſus  
ſimil cunctis ostendebat rem ſeriō agi, ſimul Præſules ad festi-  
nandum vrgebat; cum in omni conuentu vſu veniat, vt niſi vul-  
gato primorum aduentu reliqui stimulentur, omnes ad iter tor-  
peſcant.

5 Dein plurima infarcit mendacia. Affirmat, Pontificem au-  
pande Cæſaris gratiæ cupidum, demandaffe Nuntio, vt eam ca-  
paret opportunis in Turcam ac Protestantes pollicitationibus;  
quod ab illo ex ſententia peractum. Omnia planè ē contrario.  
Graniellanus Cæſaris intimè conſcius, & ab eo in Germaniam  
miſſus, <sup>f</sup> cum ampliſſima, ſuprā quam vñquam aliās Cæſar con-  
feſſerat, poſteſtate, conqueſtus eſt cum Othone Truxefio Augusta-

<sup>a</sup> Cappella-  
nus in suis  
narrationi-  
bus.

<sup>b</sup> Ex Literis  
duorum Le-  
gatorum ad  
Farnesium:  
& cō pertue-  
nit 4. Martij,  
vt in Diariis.  
Quæ autem  
ad Cerunū  
ſpectat, & ad  
Literas vel  
ad eum, vel  
ab eo ſcri-  
ptas, ten-  
et oīſim, ſeu ſi-  
mal cum a-  
liis Legatis,  
& ad alias  
ſcripturas  
per eius ma-  
nus habitas,  
exſcripta  
ſunt ex Ar-  
chivio Cer-  
uinorum: co-  
rumque he-  
redum, vbi  
afferuantur.

<sup>c</sup> In Epist.  
Farnesij  
1. Martij  
1545.

<sup>d</sup> Duæ Lite-  
ræ Farnesij  
ad Legatos,  
14. Marcij  
1545.

<sup>e</sup> Miſſa ſunt  
14. Martij,  
ut ex Literis  
Farnesij.

<sup>f</sup> Literæ Le-  
gatorum ad  
Farnesium,  
14. Martij

no 1545.

1545. no Episcopo, \* nuper Purpuratis adiuncto in gratiam Ferdinandi, parciorem fuisse Paulum in communicandis Cæsari suis consilii de Synodo, de Conuentu, ac de subsidio in Turcas, seque obtulit sequestrum ad abstergendum omni offensione Cæsaris animum; tamquam efficit, ut idem Otho Pontifici addictus, hominem quo ad secreta vtebatur, ad Paulum miserit, qui rem efficaciter transfigeret, sicut pariter apud Legatos Tridenti promota est, Oratoris Mendozæ ac Ferdinandi Regis officiis. Paulus verò tam grauter in cose gessit, ut proponentibus sibi Legatis ac Tridentino Cardinali, rem omnino confectum iri, si vnà cum Farnesio literas mitteret, quibus Purpuram sponderet Episcopo Atrebateni illius cupientissimo, & cuius parens Granuellanus consilia Cæsaris moderabatur, planè abnuerit; ratus indecorum Pontifici, eo pretio quamvis ingenta emolumenta coëmere, quod vilescere videretur, si gratio apud Cæsarem ministri cupiditatem sacris honoribus exsaturaret.

Ad hæc, alia Suaus subtextit: Voluisse Pontificem in Germania Legatum habere, qui Cæsari sese opponeret, si quid forte in eum male affectus ipsi noxiū präcipet, seu permitteret in Comitiū, sed veritum, ne quid indignum Legatus Wormatiæ pateretur, si tuis duxisse ad Cæsarem prius, quam ad Comitia eum mittere. Cæsar enim haud interfuturus illi Conuentui censebatur, vt perem occasionem Wormatiæ Legatus transeundo, Pontificis affectis quæ agenda essem præscriberet, atque è propinquo rebus, vt vsus fore, probè consuleret: interea verò missum ad Regem Romanorum Nuntium Fabium Mignanellum, Antistitem Grossetanum.

Postremum illi erratum condonemus, dum Mignanello id temporis tribuit Episcopi nomen, quod poste à obtinuit. Ei, qui totius innumerous dehonestat falsò, non videtur exprobrandum, si semel honorem vni falsò deferat. Solidiora expendamus. Infortunium huius hominis est, cum enarrat quæ communiscitur, sempera comminisci, quæ & rebus gestis repugnant, & scriptis redargiuntur.

Nihil minus habebat in animo Pontifex, quam Farnesium Cardinalem destinare Legatum; cum decretum fuerit in Senatu 23. Ianuarij, \* in quo tres Concilij Legatos constituendos sancitum, ut Legatus ad Cæsarem cum arctissima facultate mitteretur; quæ nepotem Pontificis, & supremum administrum planè dedecebat. Deinde mutatum consilium mittendi cuiusvis conditionis Legati, quippe satis esse Pontifici videbantur, ad absistendum, si quid Wormatiæ nequiter tentaretur, mandata Tridentinis Legatis præscripta. Hæc itaque Legati missio non à Pontifice sponte habita, sed flagrillans

\* In Actis  
Consistor.



tissimi Granuellani precibus concessa, cuius nomine ab Augustano ad Pontificem datæ sunt literæ. Quin Paulus initio restitit, responditque, Sufficere ibi Mignanellum Romanorum Regi Nuntium designatum, qui per dispositos equos cō celerabat, ne munus illud Nuntiū à Verallo relictum, ad Cæsarem in Belgum profecto, plus & quo vacaret, vti Tridentini Legati suggesserant. <sup>a</sup> Et sanè in teligendo eo Nuntio consuetā prudentiā vius est Paulus, propterea quod Mignanellus huiusmodi planè ministerium, & ad huiusmodi negotia se exercuerat, dum ibi Aleander Cardinalis Legatum ageret, ac tam egregiè cùm in eo, tum in aliis muneribus se gessit, vt merito à Pauli successore Senatoriam dignitatem acceperit.

At postea ciuidem Augustani, suorumque <sup>b</sup> Legatorum suaus, (quibus mox innotuit, Truxelium & Granuellanum altiori motione impulso) Farnesium Legatum ad Cæsarem constituit: cùm presertim ea legatio argumentum suscitare non posset antiquis fabellis, quasi tenderet ad imperrandam Insubriam: Carolus enim iam euilgauerat, ac Paulo significauit, <sup>c</sup> se, ad seruandas pacis conditiones, destinasse Ferdinandi fratris filiam Aurelianensi Duci in matrimonium collocare, traditā in dotem Insubriā; quod Pontifex ad Senatum retulerat. Hæc tamen legatio liuidas Suavis interpretationes haud euasit: eam enim paulò pōst indicat ad duo quasi tendentem, simul ad implicandum Cæsarem per Farnesij adhortationes bello aduerfus Protestantes, quò eum à Concilij curā distraheret, simul ad obtinendum assensum, vt Paulus Parmam ac Placentiam suis Farnesiis iure beneficiario traderet. Hæc commenta non cā sanè mediocri vituperatione satis puniuntur, quæ falsis per emotæ mentis temeritatem prolatis deberetur. Etenim cùm Suavis perlustrasset (vt ipse profitetur atque ostendit) Montani literas Romam missas, haud certè potuit ibi non legere quæ suprà memorauimus de legationis huius origine, aduersantia prorsus duabus illis a se allatis causis. Præterea neque potuit oculis non usurpare, non modò non iniunctum Legato, vt Cæsar's animum à progressu Concilij remoueret; sed eum certo consilio adiisse, vti Concilium inchoaretur, atque eius continuatio à mente Cæsar's penderet; quem suspicio erat, ægrè ferentibus Pontificiis, non iam amplius cō propendere, vt mox dicemus, & Suavis enarrat, male catus mendaciorum textor. Vnde Legatus ad Cæsarem eo accessit animo, vt illum redderet certiore de Synodo inchoanda, tamquam de re iam decreta.

Historiam prosequar. Cū Legati Tridentum peruenere,  
Pars I. Ooo <sup>d</sup> præ-

<sup>a</sup> Literæ ad  
Farnesium  
13. Martij.

<sup>b</sup> Literæ Le-  
gatorum ad  
S. Floræ  
Cardin.  
<sup>c</sup> 26. Aprilis.  
<sup>d</sup> Literæ Far-  
nesij ad Le-  
garos, 12 A-  
prilis 1545.  
& duas Lite-  
ræ Legato-  
rum ad ip-  
sum, 13. &  
14. Martij.  
<sup>e</sup> In Actis  
Confessor.

**1545.** <sup>a</sup> præter Cauensem Antistitem, neminem nacti; sed mox accesserunt Thomas Campegius Feltrensis, & Cornelius Muffius Bituminus Episcopi. Eò quoque Venetiis regressus est Didacus Mendoza Cæsareus Orator, quicun de ritibus honorariis res facile composta. <sup>b</sup> Etenim cùm is priùs expetiisset legationem in tempore lenniter exponere, contentus est postea, vt in Legatorum publicè audiretur; sicut iam Episcopus Atrebatenis ibidem prius Legatus fuerat auditus. Verba reuerenter fecit. Nec difficulter conuentum pariter est de loco sedendi in actis publicis; quamquam id postea in controuersiam reuocatum, quod suo loco nambimus. Ut enim in elementis, itidem in litibus, ea quæ inanitas plus habent, difficilius in loco firmantur.

## C A P V T I X.

Plurima Sua vis falsò dicta refelluntur.

**S**VAVIS, vbi commemorat Mendozam, accepto à Legatis a sponsio, contestatum illis verbis, *Quatenus id suo Principi nullum sit detrimentum*; amicam de more appendiculam subiicit; quæque: Hinc palam fieri, quānam charitate procederetur ad inimiciū illius sacrosancti Cœtus ponenda. Quām insulsa accusatio: Quod vel leuiter Aulæ conficius ignoret, à Principum administris usurpari, ad ostentationem seu prudentis animi, sui studiosi, huiusmodi cautiones, tametsi inter virum & vxorem, inter patrem & filium res agatur?

Operapretium híc est, vt Lectorem admoneam, inspectum quidem à Suaui fuisse (vt ipse profitetur, & à me alibi memoratur) literarum volumen Montani, Legatorum Principis, in quo commebantur literæ Romam scriptæ, quæ per eius manus voluebantur, non item illæ, quæ aliquoties ab aliquo ē suis Collegis datæ sunt, in eo volumine à Montano minimè insertæ, multoque minus peculiari nomine ab illis conscriptæ; nec eæ pariter, quod pluris interest, quæ ad Legatos mittebantur vel ab Urbe, vel à Pontificis administris apud Principes degentibus. Hinc est, quid in rebus quæ satis per priores literas innotescunt, sponte solūm peccat, quæ inquis interpretationibus, quæ fraudulento de iis rebus silentio, quibus omisſis, quod veri superest deformatur: vt planè contingat, si dum vultus expingitur, nec oculi nec nares apponierentur. Sed de iis rebus, quæ vel in aliis literis habentur, vel quid percipiuntur, opus est harum luce ad declarandas priores, sàpissime per invenientibus laborat.

